



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

De somnolentia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

aliquam intulerunt, unico momento omnes istas nebulas, gravedines & præensas infirmitates dissipârunt? Novitii harum spiritualium technarum parùm periti consulent Patrem Magistrum, ne fervore indiscreto excedant.

De dolore capitis.

Sicut capitis dolor periculosior est, majorisque momenti, ita necesse est, ut quis illum per sentiscens absque longo examine, undenam ille proveniat, exigua cum activitate orationi intendat: deinde, consulto Patre Magistro, sequatur methodum ab ipso præscriptam. Cavendum verò omninò est, ne quis hoc malum violenter superare velit, quin potius è contrario valdè suaviter hoc in casu procedendum est, adeò ut si quis tam suaviter meditari non possit, quin sentiat dolorem, hic, meditatione relicta, oratione solum utetur mixta, ut dictum est, vel etiam vocali, interjectis quibusdam aspirationibus atque actibus resignationis, oblationis, adorationis, petitionis ac similibus. Cæterùm humiliter hoc malum pati debemus, & fructum nihilominus orationis consequemur, qui in nostrimetiporum reformatione ac virtutum acquisitione consistit. Et verò nostra quid refert, de cujus manu fructum colligamus, modò ipsum obtineamus à Deo?

De Somnolentia.

Somnolentia generosè impugnari debet, sive illa proveniat ex natura, sive insidiis Diaboli excitetur. Cùm enim orationis hora consecrata sit Deo, æquum non est vel minimam illi partem

tem voluntariè aut ignavè detrahere. Princeps profectò à se curam indignatione abigeret eum, qui ad colloquendum cum ipso ingressus medio discursui suo indormiret. Quid igitur faciet Deus noster illi, qui ignavè ac locorditer huic naturæ infirmitati mox cederet? S. Romualdus vetabat sacris operari illos e suis Religiosis, qui orationi indormivissent. Et Dominus noster aliquando Religioso cuidam hunc defectum committere solito apparens ei tergum obvertit dicens: faciem tu meam videre non mereris, quia piger es & ignavus.

*Casarius
lib. 4.
Dial.
c. 29.*

Ubi te igitur somnolentum adverteris, te metipsum corpore animoque excitare debes, stando erecto corpore, neq; ullatenus cuiquam sustentaculo innitendo, sed situm servando nonnihil violentum, recitando aliquas preces vocales, quarum oratione te excites. Quod si in privato fueris, brachia in modum crucis extendere, aliisque uti poteris mediis, quæ tibi profuisse experientiâ comprobâris.

Verùm enim verò in fine hujus capituli advertendum est, si modis omnibus, quibus potuimus, nos disposuimus ad bene faciendam orationem, neq; tamen illa pro voto nobis successit, necesse esse ut conemur frequentibus orationibus jaculatoriis refarcire labem distractionum, tentationum ac somnolentiæ. Sicut enim optamus, ut Deus nos consoletur in oratione, etsi hoc promeriti non simus, sed potiùs demeriti, quod nos satis non recollegerimus, prius, quam ad orationem accederemus: ita quoque conari debemus divinæ Majestati suæ aliquos offerre fructus orationis nostræ, etsi nos ille in ipsa permiserit impugnari.

CA-

De
oratione